

144 Zu J. C. Gottsched's Lehrjahren auf der Königsberger Universität.

Archi-Camerario et Electori, Supremo Arausisionensi, Neocomensi et Vallanginensi Principi, Magdeburgi, Cliviae, Juliae, Montium, Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum, Vandalorum et Megapolis, item in Silesia, Crosmae Duci, Burggradio Norimbergensi, Principi Halberstadii, Mindae, Camini, Vandaliae, Sverini, Raceburgi & Meursae, Comiti Hohenzolleriae, Rupini, Marcae, Ravensbergae, Hohensteinii, Tecklenburgi, Lingae, Sverini, Burae & Leer-dami, Marchioni Vehrae & Vlissingae, Dynastae Ravensteinii, Rostochii, Stargardiae, Lauenburgi, Butoviae, Arlaiæ ac Bredæ, &c. &c. &c. Regi ac Domino suo clementissimo, Dissertationem hanc humillimè offert et conseruat servus devinettissimus Johannes Valentinus Pietsch.

[S. 1—16:]

1

§. I.

Inexhausta, unde tum pleræque scientiæ, tum Poësis originem ducunt, scaturigo, delectatio est. Hæc non Poësi tantum inveniendæ locum fecit, sed ad varia etiam Carminum genera confienda scriptores excitat. Finem & initium hujus constituit scientiæ delectatio, sic ad illum, ex quo emanavit, fontem, tendit revertiturq; Poësis.

§. II.

Antecepsit Poësin Musica, ab hominibus ad demulcendum auditus sensum, introducta. Verum, ne vanus aures feriret sonus, verba sonis junxere, quibus vel excitare in obrutis calamitatibus animis lætitiam, vel augere possent excitatam.

§. III.

Sed cum ipsa nos ad varietatis adipetitum natura ducat, eundem toni gradum, tempusque perpetuum, nanseam parere, observatum est. Hinc modo sustulere, modo depressere, modo longa, modo celeri mora, edidere sonum. 2 Quod vocibus etiam, productas brevesque miscendo syllabas, imitati sunt, quæ certo compositæ modo, musicis quantitate gradibusq;, responderent tonis.

§. IV.

Neglectior primus Poëseos fuit habitus, usq; dum sequenti ævo syllabarum numerum majori adtenderent cura, pedes adcuratius connecterent, studiofiusq; mensuratos, certis spatiis limitibusq; constringerent, è quorum apta, numero modoq; finita, compositione, sonora gratissimaq; auribus orta est oratio, quam adlegatas ob rationes, ligatam, metricam & rythmican appellavere. Hæc adeo necessaria carmini forma est, ut, ea absente, carminis nomen poëma vix sustineat.

§. V.

Sunt quidem, qui, fictionibus nimium tribuentes, fabulis, nullo vinculo ligatis, nullo rythmo sonoris, inter poëmata locum concedant. Sed cum cani non possint, nec soni amoenitatem delectent, nec metro ligatae sint, indignæ ligatae orationis carminisq; nomine, ad solutam profsamque ablegandæ sunt.